

Gradonicum & in Ubaldi exercitu quæstorem, & Græcis 1498
 equitibus, quos ei præsto esse jusserant, præfectum legerunt. Julianus autem Medices Petri frater, cum Faventiam prior venisset, Maratam profectus ab oppidanis libentissimis recipitur. Laurentii enim recordatione, magni clarissimique viri, eorumque municipio amicissimi, qui civitatis principatum multos annos obtinuerat, permoveri se se dixerunt, ut quam benivolentiam patri, si viveret, se debere sentiebant, filio præstarent. Maratæ arx summo in colle posita militibus referta se se tenuit. Interim Bartholomæus Livianus ex Ursina Romanorum gente in Medicum partibus homo paratissimus, Faventiam & ipse cum equitatus parte præmissus, milites centum quinquaginta, quos in Ferrariensium finibus Catherina scripserat, atque ad se venire jusserat, in itinere aggressus omnes cepit, armisque exiit. Petrus medio inter Maratam Faventiamque spatio, ne commeatus intercludi eis posset, Guido Ubaldo relicto, suis cum equitibus militibusque mille jugum, quod Maratæ arci imminet, capit: tormentisque in eo iugo positis, muros dejicere aggreditur. Iis vallo portæ diruto, legatus qui in arce erat sibi veritus, ac domum clam recurrens, ejus capiendæ occasionem hostibus utique dedisset, si ejus fuga cognosci potuisset. Ille vero ad arcem defendendam, quæ maximo momento ipsorum rebus esset, civitatem incitans, majoris etiam præsidii celeriter eodem submittendi causam præbuit. qua re effectum est, ut tametsi in ea oppugnatione complures dies exercitus reipublicæ consumpsisset, arx tamen capi non potuerit, quoad Joanne Francisco Severinate Gaspareque ejus fratre cum exercitu ab Ludovico Forum Livii missis, ut una cum Florentinorum conjuncti copiis in Ubaldum impetum facerent, Petrus & Julianus oppugnationem relinquere coacti se se Ubaldo adjunxerunt. Baliones tardius profecti Ravennæ constituerunt.

Itaque cum in magna consiliorum inopia Patres verarentur, Paulo modis omnibus Pisanas res urgente, no-